

Wa
264



D. F. F.
DISSERTATIO VI.
De

NUMMIS

SEREN. SAXONIÆ
DUCUM,

qva
ORATIONEM ADITIALEM
NOVI RECTORIS

de
BONI DISCIPULI OFFICIO

et
SUAM ABITIALEM

de
VIRI JLL. JOHANNIS THOMAE b. m.

TRIPLICI OFFICIO,

In Schola Altenburgensi

XI. KL. Dec. A. C. cl^o l^o LXXIX.

intimat

M. PAULUS MART. SAGITTARIUS,
Rector & Diaconus Altenburg.

Apud GODOFREDUM RICHTERUM, Typogr. Ducal.





IV OIT L. C. 1674
S.

Vltima hæc est disertatiuncula, qua, Musophile candide, à me compellaris, quâ ad audiendas declamatiunculas Scholasticas invitaris; non tamen ultima, si Historiam nummariam respicies; Plures enim adhuc, Deo vires & sanitatem concedente, futuro tempore prodibunt nummorum, quos nondum attingere licuit, species ad unum omnes exposituræ. Præfens, quam vides, legisque, duo nummorum Saxoniorum recensabit genera, alterum sextam Imperialis partem, quartam alterum valore æquat. Quoad primum, quod nostrates à pretio quatuor grosforum ein Vier Groschen-Stück appellare consueverunt, ejus origo non ab antiquis temporibus, sed recentioribus erit repetenda. Vix siquidem quinquennii spatium effluxit, quo jubente Potentissimo Saxoniae Electore *Johanne Georgio II.* hominum manibus teri cœpit, uti inscriptio testatur. Antica facies exhibet Electoris cataphracti effigiem & in margine: JOHAN. GEORG. II. D. G. DUX. SAX. J. C. ET MONT. postica scutum pileo Electorali tectum continens Rutam, duos Leones, Sceptra liliata & in medio gladios transversim positos, nec non in peripheria verba sequentia: SAC. ROM. IMP. AR(ꝰ)CHIM. ET. ELECT. 1674. Secundum

dum monetæ hîc recensendæ genus est *Didrachmum*
sive *Quadrans Thaleri*, Germanis ein Orts. Thaler. Au-
torem illius primum constituo *Fridericum Sapientem*,
Electorem Saxonæ, Didrachmum A. 1517. cudentem.
Quæ ipsi insculpta, Dissertatio de *Comitis Palatini Ce-*
sarei dignitate Friderico à Maximiliano I. collata enu-
meravit & uberius paulo enumerabuntur, si ad num-
mos memoriales fuerit deventum. Friderici vestigiis
instittit Frater *Johannes*, cujus auspiciis *Didrachmum* in
officiâ monetaria, quæ Cygneæ in arce extructa, 1. Maji
A. 1530. signatum, testibus Wilhelmo in Descr. Cygn. p.
226. & Schmidio in Annal. Cygn. p. 309. Quod anno
proximè inleqvente fieri voluit, non nisi delineatum vidi
in libris Monetariis. Progredior ad ejus filium *Johan-*
nem Fridericum, cui ut & fratri *Johanni Ernesto*, Agna-
tis item *Heinrico & Mauritio* sequentia debemus Di-
drachma. Primum prima in parte offert gladios Ele-
ctorales, & juxta eos 1541. infra Rutam cum Leone &
hæc in ambitu verba: JOHAN. FRID. ELEC. DVX.
SAXO. FIE. FE. in secunda galeam Saxoniam & mar-
ginem vocibus, quæ sequuntur, notatum: HEINRI-
CVS. DVX. SAXONIE. FIERI. F. Secundum uno in
latere galeam Saxoniam ostendit & circa eam: JO-
HAN. FR. ELEC. DVX. SAX. BVGGRA. MAGDE.
& in altero parmulam Electoratus & Ducatus Saxonici
insignibus insignem, infra duos Leones, sub his scutum
Burggraviatus Magdeburgensis, & juxta 1542. Ambitus
sequentem habet epigraphen: MAVRITI. ET. JO-
HAN. ERNEST. DVC. SAX. FIERI. F. T. Miraberis

titulum & scutum *Burggraviatus Magdeburgensis* in
 hac moneta comparere, cum per integrum, & adhuc
 amplius, seculum in nullo nummorum Saxoniorum
 videatur. Sine gravi causa factum esse, ne putes. E-
 lector modo laudatus Burggraviatum Magdeburgen-
 sem cum Præfectura Gommerana Senatui Magdebur-
 gensi A. 1292. oppignoratum solutis duobus & viginti
 Imperialium millibus A. 1538. reluit & *Burggravi* titu-
 lum sibi vendicavit, cui propterea *Albertus*, R.E. Cardi-
 nalis & summus sacrorum Magdeburgensium Antistes
 ex Marchionum Brandenburgensium prolapia, litem
 movit, quæ tamen ab arbitris *Jochimo*, *Georgio* & *Jo-*
hanne, Electore & Marchionibus Brandenburgensibus,
Heinrico, Saxoniae Duce & *Philippo*, Hassiæ Landgravio,
 sic composita, ut Elector titulo & juribus consuetis ute-
 retur. Conf. Dresf. Mill. Hist. f. 968. & Hortleder. de cau-
 sis belli Germ. l. V. c. 28. Tertiæ facies prior exhibet gla-
 dios Electorales, infra Rutam & Leonem, inque extre-
 mitate: JOHAN. FRID. ELE. DVX. SAX. BVR. MAG:
 posterior vero galeam Saxoniam & verba: MAVRI-
 TI. DVX. SAX. FIE. JUS. 1544. FREI. (al. FREIB.)
 Quarto eadem, quæ præcedenti, insignia sunt insculpta,
 non vero verba; Sic enim collocata deprehendes: JO-
 HAN. FRI. ELE. DVX. SAX. FI. JUS. 1546.

Vidimus nummos, quos *Mauritius*, Dux Saxo-
 niæ, cum Agnatis signari curavit: nunc videamus, quos
 solus Electorali dignitate potitus A. 1547. 49. 50. 51. 53.
 formari voluit. Una facies monstrat 1547. post gladios
 Electorales cum Ruta & sub his stellulam (A. 1549. lite-
 ram

ram T.) nec non in ambitu verba sequentia: MAVRI-
CIVS (1551. 53. MAVRICI.) D. G. DVX. (1549. DV.)
SAX. SA: RO. (53. R.) IMPE. [IMP. 50. 51. IM. & I. 53.] Al-
tera autem galeâ Saxonica superbit hisqve verbis: AR-
CHIMARSCHAL. ET. ELECTOR (1551. ELECTO.
50. ELECT. 51. & 53. ELEC. 53. ELE. *Anneberga* mense
Julio A. 1547. fabricatos refert Paulus Jenifius in *Anneb.*
C. 13. p. 41.

A *Mauritio* ad fratrem *Augustum* transeo, qui mul-
tos hujusmodi nummos cudi jussit annorum & verbo-
rum situ tantum discrepantes. Omnes Electorem Ele-
ctorali habitu indutum referunt: quidam ut 1560. 64. 65.
66. 67. 68. & 79. effigiei apponunt annum, alii, ut 1554. 55.
insignibus in averso latere positis. Adducam exemplum
Didrachmi A. 54. cusi, in cujus uno latere apparet Ele-
ctor Septemvirali vestitu & gladio ornatus, cum præ-
senti epigraphe: AVGVSTVS D. G. DV. [al. DVX]
SAX. SA. RO. IM. (al. IMP.) & in altero insignia Electora-
tus atqve Ducatus Saxonici conjuncta, ponè 1554. & in-
scriptio hujus tenoris: ARCHIMARSCHAL. ET. ELE. FRI. [al.
ELECTOR. T.) cum stellula. In *Didrachmo* A. 1555. fa-
bricato verba unius lateris hoc ordine jacent: AVGVSTVS
D: G: DVX. SAX. SA: RO: IMPERI. & in altero ARCHIMAR-
SCHAL: ET: ELECTOR. Numm9, qui A. 1560. & 66. signatus,
verba primæ faciei ita disposuit: AVGVSTVS. DEI
GRA. (Gladii El. cum Rota) TIA DVX. SAXONIE [al. SA-
XONIAE] & secundæ hoc modo: SACRI. ROM. IMP. AR-
CHIM. ET. ELECT. HB. Omissi autem sunt enses cum ru-
tainco, quem A. 1479. ducendum curavit. *Augusto*



succedat trias nepotum ex *Christiano I* nempe *Christia-*
nus II. Johannes Georgius & Augustus, quorum effigies
 uniparti impressæ cum numeris 1599. ad capita colloca-
 tis, pomo Imperiali & verbis hujus exempli: CHRISTIAN.
 JOHAN: GEORG. ET AVGVSTVS. A parte altera cernitur
 scutum gladios & Rutam comprehendens & in margi-
 ne verba: FRATRES. ET. DVCES. SAXONIAE. HB. li-
 dem A. 1603. & 1608. *Didrachma* cudi mandarunt, quo-
 ad Principum effigies & insignia convenientia, sed quan-
 tum ad verba dissentientia. In quo latere effigies Ele-
 ctoris loricati & A. 1603. deprehenditur, verba hoc gau-
 dent ordine, præposito pomo Imp. CHRIST. II. D. G. S. R. J.
 (Gladii in decussim trajecti) ARCHIM. ET ELECT. (A.
 1608. CHRISTIAN: II. D: G. (Gladii) S: R: J: ARCHIM.
 E: (al. omittunt E.) ELE. In quo vero *Johannis Geor-*
gii & Augusti icones animadvertis, sic leges: JOH: GE-
 OR: ET AVGVS: FRAT. ET DVC. SAX. HB. (1608. JO-
 HAN: GEORG: ET AVGVST. FR. ET. D. S. HB.) Hic
 observabis, scutum rutaceum amplius paulo esse Didra-
 chmo A. 1603. formato, quam quod A. 1608. percussum.

Denato *Christiano II.* in nummis hujusmodi fe-
 riendis occupatus fuit *Johannes Georgius I.* à quo tres
 accepimus species. Prima priori in latere Electorem ca-
 taphractum & circa eum 1612. repræsentat, ut & verba
 interjectis insignibus: JOHAN: GEORG. D. (glad.] G.
 S. R. J. ARCHIM. E. & in posteriori Augustum loricatum
 cum verbis: E. AVG. [Leo] FR. ET [Ruta] D. S. JV.
 (Leo) CL. E. M. (Sceptra liliata) Altera itidem ab una
 parte Electorem offert cataphractum galea ad latus po-
 sita

sita, & orbem his repletum verbis: JOHAN: GEORG: D:
G. DVX. SAX: JVL. CLI. (1627. (CLIV. 38. & 41. CL.) ET
MON. (1620. 41. 49. MONT. 1627. MO. 1638. M.) & ab al-
tera scutum Rutam, Sceptra liliata, Leones & in medio
Enses Septemviraes complectens, ut & tituli comple-
mentum: SA: ROMANI: IMP: ARCHIM: (1627. 44. 49. 51.
ARCHIMARS.) ET ELECT. 1618. (ELECTOR 1641. ELE.
38. 44. 49. 51.] Tertia A. 1627, & seqv. cusa qvoad primam
faciem congruit, sed si secundam attendas, maximè dif-
fert. Dat enim Enses Electoratus & Rutam, paulo in-
fra insigne Clivense & literas S. D. (A. 27. H. I. 41. C. R.)
Insignia eodem modo disposita in Didrachmis retinuit
Filius *Johannes Georgius II.* Pars anterior monstrat E-
lectoris decenti habitu vestiti effigiem, in margine po-
mum Imperiale & epigraphen sic sonantem: JOHAN.
GEORG. II, D. G. DUX. SAX. JUL. CLIV. ET M. Aversa
verò præter insignia jam adducta & literas C. R. in peri-
pheria præbet residuum tituli: SAC. ROM. IMP. ARCHI-
MARS. ET. ELECT. 1664.

Et hæc de *Didrachmis Electorum* sufficient. Se-
quantur *nummi Ducales.* Primum inter hos locum
tribuo Didrachmis à *Johanne Casimiro & Johanne Er-
nesto*, Fratribus, conflatis, uni lateri insculpta galea Sa-
xonica cum bacillis foliatis, in ambitu pomum Imperia-
le & Principum nomina: D. G. JOH. CASI. E. JOH. ER-
NES. FRA. DV. SAX. alteri vero inhæret scutum ruta-
ceum, & ad ejus latus 1581. intra Leones duo (1587. Scu-
tum rutaceum qvatuor aliis habetur cinctum Leones
duos, Gallinam & Aquilam referentibus) In circumfe-
rem-

rentia mentio provinciarum sic injicitur : LANDGRAVI
 (LANDGRAV. 1587.) THVRIN. ET MARCHI. MISNIE. (1587.
 MISNI) lidem à prioribus diversum A. 1611. formari
 præceperunt; Nam prima facies obvertit effigies fra-
 trum cataphractorum & ad illius humeros F. E. (Fried-
 ernehret) ad hujus verò: V. V. [Unfried verzebret] tum
 verba in margine: D: G: JOH: CASI: ET: JOH: ERNS:
 FRA. DVCES. SAXO: Secunda autem tres orbes, in quo-
 rum intimo scutum rutaceum & supra 1611. in medio tre-
 decim scuta gentilitium Ducum Saxoniae insigne con-
 stituentia, & in extimo: LANTG: THVRI: ET. MAR-
 CHIO: MISN: MO: JM.

Post fata fratris *Johannes Ernestus* Didrachmum
 terris nostris tradidit, in quo effigies Principis lorica in-
 duti, galea ad latus reposita & inscriptio his verbis con-
 cepta: D. G. JOHANN: ERNEST: DVX: SAX. JVL. CLI. ET
 MONT.: Alteri lateri impressum integrum insigne
 Saxonicum cum timbris, pone 1636. E. F. S. & in mar-
 gine: LANDG. THV. MAR. MIS. COM. MAR. ET R. D.

Ducalibus annuero Didrachmum, quod *Fri-
 dericus Wilhelmus & Johannes*, fratres, orbi dederunt.
 Anterior facies ostendit effigiem *FridERICI WILHELMI* ca-
 taphracti, galeam sinistrae appositam & circumferen-
 tiam hac ratione adornatam: D. G. FR. (Leo) WI.
 DV. (Aquila) SA. TV. (Rosa & Gallina) E. EL. (Aquila)
 ADM. [Leo] MO. J. [pomum Imperii & Ruta] Poste-
 rior coruscat effigie *Johannis* itidem loricati, galea dex-
 trae adjuncta, numeris 1597. ad humerum sinistram &
 ambitu his verbis & parmulis conspicuo: D: G. JO.
 (Leo)

(Leo) DV. SA. [insigne Landesbergense] LAND [Leo]
THV. E. (Martisburgense) MAR. (Leo) MIS. (Bre-
nensis Comitatus insigne.) Nec hic omittendi nummi,
quos *Johannis Philippi & fratrum* auspiciis signatos ha-
bemus. Primus imagines *Johannis Philippi & Friderici*
palliatorum uno in latere refert, in margine pomum
Imperiale & verba insignibus distincta: JOHAN: (Leo)
PHILIP: (Aquila) ET FRID: [Leo] DEI. GRA: in altero i-
cones *Johannis Wilhelmi & Friderici Wilhelmi* pallia-
torum, supra 1610. & in peripheria: JO. WIL: [Ruta]
ET. FRID: (Gallina) WIL. FRA. (Rosa) E. DV. SA.
WA. (Leo.) Secundus non nisi effigiem *Johannis Phi-*
lippi loricati galea ad latus posita intuenti & circa caput
1629. ab una parte objicit, in extremitate pomum Imper.
& verba: D: G: JOH: PHIL: JOH: WIL: ET. FRID:
WILH. FRAT. Ab altera integrum insigne Saxonicum
& titulum: DVC: SAX: JVL: CLI: ET. MON: LIN:
ALD. WA. Tertius eandem obvertit effigiem cum
verbis: D: G: JOHAN. PHILIP. ET. FRIDERI. WILHEL.
FRAT. ut & insigne majus Saxonicum, ad cujus latera
1637. & M. R. nec non in circumferentia: DVCES: SAX:
JVL: CLI: ET MONT. LINIÆ: ALTENB: Agmen clau-
dat minimus Fratrum, cui sequens adsignamus Di-
drachmum. Priori in facie videmus imaginem Princi-
pis loricati casside ad latus reposita, in circuitu pomum
Imp. & verba: D: G: FRIDERICUS: WILHELM: DVX
SAX: J. C. E. M. in posteriori autem scutum continens
Rutam, Sceptra liliata & duos Leones, pone E. F. S. &
B in

in margine: LANDG: THVR: MAR: M: COM: M. ET,
R. DOM: l. R. 16. (manus falce instructa) 45.

Atque hoc optimi Principis, nostri quondam *oculi*
atque *presidii*, *Didrachmo* præsentem finio Dissertatio-
nem & simul conscribendis ejusmodi exercitiis Schola-
sticis ultimam manum impono, id operæ futuro, quod
Deus dabit, tempore relicturus Viro Plurimum Reve-
rendo, Præ-Clarissimo atque Doctissimo Dn. M. JACO-
BO DANIELI ERNESTO, Königsfelda-Misn. P. L. C.
Ecclesiæ Cribitiensis in Diœcesi nostra Pastori per tria, &
quod excurrit, lustra vigilantissimo, Adfini, Fautori atq;
Amico meo honoratissimo, qui Divina bonitate & Su-
periorum voluntate Successor mihi designatus *Cathe-
dram Ecclesiasticam* cum *Scholastica* commutabit, cum,
DEO sic jubente, à *Scholastica* ad *Ecclesiasticam* mihi
sit transeundum. Uterque autem horis pomeridia-
nis eam commutabimus non tacendo, sed lo-
quendo. Loquendum enim nobis de insigni Dei bene-
ficentia, Ser. Principum clementia, Ephorum benevo-
lencia, Collegarum concordia & discipulorum obser-
vantia: & prius quam de his loquamur, loquendum no-
bis de aliis: illi de BONI DISCIPULI OFFICIO, mihi
vero de TRIPLICI OFFICIO Viri Illustris & de Re-
publica nostra meritissimi Dn. JOHANNIS THO-
MAE, Dynastæ in Naundorff/ Jcti incomparabilis, Ser.
Sax. Duc. Consilarii Intimi, Cancellarii & Redituum
Provincialium Directoris eminentissimi, Mœcenatis,
cum adhuc viveret, gratiosissimi, Reipubl. suis & Mu-
fis

sis nostris non sine ingenti cordolio 2. Mart. hujus anni
subducti, quod JENÆ docendo, FRANCOFURTI &
RATISBONÆ negotia Principis sui tractando, & AL-
TENBURGI consulendo, ex bono Studiosorum, applau-
su Imperii & Principum voto summa dexteritate, pari fi-
de & labore improbo per triginta, uno minus, annos o-
biit. De his, Musagetæ benevoli, loquemur. Ne au-
tem Cathedræ & subselliis vacuis loqui videamur, vestri
erit favoris & in accedendo promptitudinis. Accedite
proinde frequentes, & quod meis hætenus discipulis,
me exorante, humanitatis officium præstitistis (quod
grato nunquam non deprædicabunt animo] eodem &
me ultima vice vos compellantem dignamini. Si forte
hæc minus Vos moverent & ego Rectoris munere mox
abiturus, deterioris præter spem discipulis meis forem
conditionis, quibus declamantibus nunquam defuistis,
novi Rectoris preces vos moveant, quem mirum quan-
tum excitabitis, si primis, quas, me interprete, proponit,
precibus facilem locum relictum cognoverit. Valete
hasque pagellas, quas ultimas ex manu mea accipitis, eo,
quo præcedentes numero quadraginta, affectu atque æ-
quanimitate prosequimini. Si meum non placuit in-
stitutum, quod pleræque Historiæ amoris id tribuetis in
Historiam, præcipuè patriam, multis non ingrato, nec
forsan adeo reprehendendo. Iterum valete mihi que
utroque pollice, vel, ut mitius dicam, toto pectore favete.
P. P. Altenburgi XI. Kl. Dec. A. C. clō lōc LXXIX.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several horizontal lines across the page.

104



Ma 264. A

ULB Halle
004 965 930

3



K.C.







invitaris, n
 respicies ;
 concedente
 quos nondu
 expositurae
 morum Sax
 tam Imperi
 Qvoad prin
 forum ein 2
 runt, ejus or
 tioribus erit
 tium effluxi
 etore *Johan*
 pit, uti inscri
 ris cataphra
 ORG. II. D.
 tum pileo E
 Leones, Sce
 positos, nec
 ROM. IMP.



tatiuncula,
 ompellaris, qvâ
 as Scholasticas
 n nummariam
 es & sanitatem
 t nummorum,
 unum omnes
 qve, duo num-
 a, alterum sex-
 i valore æquat.
 qvatuor gros-
 are conveve-
 bus, sed recen-
 inqvenni spa-
 Saxonix Ele-
 nibus teri cœ-
 xhibet Electo-
 JOHAN. GE-
 T. postica scu-
 Rutam, duos
 os transversim
 entia : SAC.
 . 1674. Secun-
 dum

